

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Gamhlion [Gamēlion] de Exordiis & Dignitate Vitae
Conjugalis**

Brodhag, Samuel

in Caroli Hesycheo, [1733]

[urn:nbn:de:bsz:31-5254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-5254)

GAMHLION

de Exordiis & Dignitate Vitæ Conjugalis,
Scriptum

in Solennia Nuptiarum

ILLUSTRIS ET GENEROSISSIMI
EQUITIS SILESII AC DOMINI,

DOMINI

**JOH. BERNHARDI
DE PELCKE,**

Serenissimo Principi Bada - Durlacensi à Consiliis
Aulicis, Aulæque Carolspurgicæ Magistri meritissimi,

cum EI

GENEROSISSIMA VIRGO,

DOMINA

**DOROTHEA FRIDE-
RICA LUCRETIA**

DE BERNHOLD,

apud Serenissimam Principem Regentem ad-
missionis interioris Administra primaria,

*in Conclavi Audientiæ Serenissimæ Principis Bada-
Durlacensis Vinculo conjugali d. XX. Octob. Anno MDCCXXXIII.*

medios inter Belli Rumores jungeretur;

à

SAMUELE BRODHAGIO,

Diacono in Aula Carolspurgica & Ser. Princ. Hæred.
Informatore.



In Caroli Hesychéo,

Typis Andrea Jacobi Maschenbaueri, Typogr. Aul.

(1733)



Uæcunque immensi tenet ardua machina mundi,
 Condiderat verbo cunctipotente DEus.
 Quæ postquam à primo rerum perfecerat ævo,
 Singula mox sedem iussit habere suam.
 Servabat summum cœli septemplex orbis,
 Circumiens mundi mœnia vasta, locum.
 Terrarumque globus mediis pendebat in auris,
 Undique quem vastus cinxerat Oceanus.
 Aureus in celso Titan lucebat Olympo,
 Obfuscans radiis astra minora suis.
 Et nova jam crescens reparabat cornua Phœbe,
 Fulgebantque novo sidera clara polo.
 Arbor operta comis, vestitaque gramine tellus,
 Induerat flores quælibet herba suos.
 Dulcisono volucres mulcebant æthera cantu,
 Ludebat campis luxuriando pecus.
 Solus deerat adhuc, dominari in cœtera posset
 Quis simul, & cunctis præficeretur, homo.
 Mox DEI in effigiem primus formatur Adamus,
 Deque luto fragili membra caduca gerit.
 Huic opifex rerum DEus omnia subdit, eumque
 Horti Cultorem nobilis esse iubet.
 Primus homo solus divino munere cunctas
 Possidet immensi totius orbis opes.
 At non esse bonum socia sine vivere tantis
 In rebus, sentit provida cura DEI.
 Quin, ait Omnipotens, sociam jungamus Adamo,
 Cum qua sint illi gaudia grata magis.
 Mox hominis fessos altus sopor irrigat artus,
 Et stratus viridi gramine membra cubat.

At

Z

1462

At DEUS exemta molli sub pectore costa,
Candida formosæ Virginis ora facit.
Corpore somnus Adæ defluserat; ille puellam
Ore parem, forma sed meliore, videt.
Tum DEUS hanc, inquit, sociam Tibi jungo laborum,
Tecum jucundos exigat ipsa Dies.
Humani generis sunt hæc exordia prima,
Cœperat auspiciis his socialis amor.
Et, qui primus Adæ conjunxit fœdere lecti,
Atque dedit primus, quæ foret uxor, Evam:
Ignibus hic castis animos succendit amantum,
Et facibus sacris corda calere facit.
Nil puer hic Veneris, mollesque Cupidinis arcus,
Pronuba nil Juno, nil Hymenæus agit.
Dux in amore DEUS, casti DEUS auctor amoris,
Pectora qui curis fauciat icæta piis.
Quin & supremi soboles æterna parentis
Christus, cum vellet mitis adesse puer:
Prodiit intactæ casto de Virginis alvo,
Sed quæ sponsa tamen Virgo Maria fuit.
Ac ubi ter quinos idem geminaverat annos,
Et jam munus erat certus obire suum,
Dignatur Ganæ sacris accumbere mensis,
Muneribus sponsum condecoratque suis.
Exerit occultas divina potentia vires,
Ac haustam in vinum nobile vertit aquam.
Sed quid multa? satis probat hoc Hymenæia jura,
Conjugiumque DEI testificatur opus.
Quod socialis amor puri est exemplar amoris,
Cæcum profequitur quo DEUS usque suum;
Sapientius hinc sponsi nomen sibi vendicat ipse,
Dilectam sponsam Christiadasque vocat.
Ille genus nostrum tali vult ordine nasci,
Ut sobolem pariat Fœmina juncta viro;
Impleat ut vastum numerofo pignore mundum,
Atque DEO & patriæ, non sibi, vivat homo.
Plurima ceu cultis producit arbor in hortis,
Et surgit riguo plantula multa solo:
Sic ubi multiplicans patrium genus auxerit hæres,
Accedet regno turba tenella DEI,
Cui pater instillat vitæ præcepta sub ævo
Jam viridi, & monstrat religionis opus;

Ut

Ut servire DEO teneris assuescat ab annis,
 Utilis & patriæ civibus esse sua.
 E parvis cunis Tibi, Christe, Ecclesia surgit,
 Et regnum amplificat sacra marita suum.
 Quem non tanta movent socialis præmia lecti,
 Durius huic saxo pectus inesse reor.
 Quem non augendæ stirpis pia cura moratur,
 Non hic humano nomine digna facit.
 Pignora cui thalami fuerint invisa feracis,
 Is neque vitali lumine dignus erit.
 Dæmonis hoc proprium est, divinas carpere leges,
 Et culpæ DEL facta stupenda Patris.
 Nugantur veluti vanissima somnia stulti,
 Ethnica gens, vera quæ pietate caret.
 Nam, quocunque loco versatur Fœmina præsens,
 Hic mala concurrunt cuncta, Menander ait.
 Et Sophocles rursus; Mulier res pessima terris,
 qua neque peior erit, deteriorve fuit.
 Extremumque malum socii connubia lecti
 Antiphanes plenus futilitate vocat.
 quin etiam prohibet genus hoc laudabile vitæ
 Papa, caput scelerum nequitiaque Pater.
 Vos Monachi, gens pigra & inania pondera terræ,
 quorum nullus erat, nullus & usus erit:
 Cur sacra legitimæ temerantes fœdera tædæ,
 Occulitis falsa virginitate scelus?
 Dicite, si pietas aboleret vincula lecti,
 Unde genus vestrum, dicite quæso, foret?
 Cautibus haud duris, nec nascimur arbore summa,
 Tollite conjugium, desinet esse genus.
 At sapiens cœli, terræ, rerumque repertor,
 Esse bonum tædis abstinuisse negat.
 Ergo magis dictis superum, vel dogmate Papæ,
 Aut movear Manis, vel, Taciane, Tuo?
 I! Cape sulphureas inferno carcere tædas,
 Undis Letheis & Styge digna cohors!
 Et quicumque fugis sacri consortia lecti,
 Accubet in thalamo sponsa Megæra tuo.
 Non homini est concessa venus promiscua, bruti
 Nec licet ut cæco more vegetur amor.
 Uno sed thalamo bini jungantur, & unus
 Sit nuptæ conjux, nupta sit una viro.

Nec

1466

Nec bene quis poterit vacuo dormire cubili,
Circumstant vacuum multa pericla thorum.
Exitium in nostrum vigilans Cocytius hostis,
Sollicitat variis pectora nostra modis.
Expers & thalami male servat vita pudorem,
Vix, quæ sola cubat, casta puella cubat.
Ac non est ea vis juveni, quæ pectoris æstus
Reprimat, astuti dæmonis atque dolos.
Fallitur infelix, refugit qui Conjugis usum,
Fallitur &, vitam qui male castus agit.
Ast impura venus sanctas accedere tædas
Horret, & in castum non venit illa thorum.
Attollit puras conjux cum Conjuge dextras,
Et fundit casto pectore vota DEO.
Talia dum secum generosa mente volutat
PELCKE, Ejus tangit pectus honestus amor.
Cœlibis exofus fastidia longa cubilis,
Dulcia conjugii vincla subire parat.
Illustres inter Nymphas sibi deligit unam,
BERNHOLDA huic oculo dispiciente placet.
Nobilibus BERNHOLD prognata parentibus, ortum
Quæ facie ingenuum nobiliore refert.
Sed magis hanc ornant probitas, moresque pudici,
Cumque alacri constans sedulitate fides.
Gaude, Sponse, Tibi talis quod contigit uxor,
Qua potuit fatis non magis apta dari.
Hanc solam cupidis ulnis amplectere, solam
Dilige, & hanc solam ceu Tua membra fove.
Sanguine nata viri, duro non fœmina fluxit
Osse pedum, famulæ ne foret illa loco.
Gaude, Sponsa, pio quod sis sociata marito,
Quo Tibi non Conjux aptior ullus erat.
Quicquid honorato laudari in Conjuge dignum est,
Hoc Illi tribuit dextra benigna Dei.
Aspice vernantem juvenili flore juventam,
Aspice quam lætæ gratia frontis adest.
Suave decus morum, docti quoque pectoris artes
Hunc aliis merito conciliare queant.
Gaude, Sponsa, animoque Tuum complectere sponsum,
Et Vigili cura jussa capeffe Viri.
Imperet Ille Tibi, dominari namque maritam,
Cui caput est conjux, numina sancta vetant.

):():(

Sola-

Solamenque mali duris in casibus uxor,
 Atque sit in quavis sorte parata Comes.
 Vivite felices, quos necit copula sacra,
 Et mens sit vobis una, sit unus amor!
 Sintque procul lites, & amaræ proelia linguæ,
 Ac vestrum turbet nulla querela thorum!
 Ut gravidas vitis producit fertilis uvas,
 Sic crescat mater prole subinde nova;
 Et patriam cingant nati longo agmine mensam,
 Ramo ceu surgit pinguis oliva Syro.
 Denique *Nestoreos* conjux feliciter annos,
Uxor Cumæe secula vatis agat!

